



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

Bosco, Jean a

Lovanii, 1670

Concl. III. Omnia & singula peccata mortalia dubia oportet consiteri. Stricta obligatio nec ex Tridentino, nec aliunde, nisi fortè ex praxi, convincitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73393)

62.
Objectio.
Solutio.

Sed contrà, dicit Aliquis: potest fieri; quòd Prælati præscripserit certam Pœnitentiã imponendam pro peccato reservato. Respondeo; etiam fieri potest quòd non præscripserit, & dato casu, quòd præscripserit, & ad illam limitasset potestatem absolvendi, obligatio tunc exprimentis reservationem foret merè per accidens, eodem modo, quo illa præscriptio & limitatio, de qua obligatione, sicut antè dixi, non loquitur Conclusio.

Igitur, ut finem imponamus huic Conclusioni, verissimè ac doctissimè dixi Scotus 4. dist. 17. nu. 20. *Multa sunt circumstantiæ, ex quibus peccatum est aliquo modo gravius & hoc vel ex parte obiecti, vel ex parte persone peccantis, de quibus non est ita certum, quòd oporteat illas confiteri; sicut certum est, quòd oporteat confiteri circumstantiãs, mutantes speciem & numerum, de quibus in particulari sect. 10. & 11. Nunc pergo ad illa, quæ sunt magis propria huic loco, & dico:*

CONCLUSIO III.

Omnia & singula peccata mortalia dubia oportet confiteri. Stricta obligatio nec ex Tridentino, nec aliunde, nisi forte ex praxi, convincitur.

63.
Dubium aliud de substantiã, aliud de qualitate; aliud negativum, aliud positivum.

Dubium aliud est de substantiã actûs, aliud de sola qualitate. Aliud positivum, aliud negativum. Dubitat de substantiã actûs, qui dubitat v. g. an commiserit homicidium; dubitat autem de sola qualitate, qui sciens se commisisse homicidium, dubitat an deliberatè. Atque in hac explicatione omnes conveniunt. Dissentiunt porrò in specificando, seu explicando dubio positivo, & negativo.

Quid sit dubium positivum, & negativum secundum Lugonem.

Secundum Lugonem disp. 16. n. 58. Dubium positivum est, quando aliquis habet rationes, vel motiva probabilia ad credendum; se fecisse tale peccatum, & ad credendum etiam oppositum, vel certè habet saltem rationes probabiles ad credendum unam partem; licet ad aliam non habeat. Dubium negativum contingit, quando non habet rationes ad probabilem assensum hujus vel illius partis, prout se habet homo ad hanc propositionem: *Sidera sunt parva*; ad quam concedendam, vel negandam non habet argumentum positivum. Ita Lugo.

de Præpositum.

Præpositus in 3. part. de Sacram. Pœnitentiæ, q. 5. n. 113. sic scribit: Notandum hominem propriè dici dubitare, quando fluctuat, nec potest in alterutram partem determinatum judicium formare, quod interdum accidit, quia in neutram partem suppetit ratio, inter-

dum verò contingit, quia utrimque apparent rationes probabiles.

Sed neutra explicatio placet Caramueli lib. 3. Theol. moralis disp. 4. n. 1479. ubi sic ait: Notandum est, bene dubium à probabilitate distingui à Sanchez lib. 1. in Præcepta c. 10. malè autem à Lugo de Pœnitentiâ disp. 16. sect. 2. §. 3. dubium positivum cum probabilitate confundi. Et relatis verbis Præpositi subjungit: displicet illud verbum ultimum, quia si utrimque probabiles rationes suppetant, non est dicendus habere conscientiam dubiam; sed probabilem.

Ipsè autem n. 1480. Dubiam, inquit, conscientiam definimus; ratione gravi destitutam; & in dubiam positivè, & in dubiam negativè distinguiamus. Conscientia positivè dubia illa est, quæ caret gravi, habet tamen unam vel alteram rationem levem: at dubiam negativè, illa, quæ non solum caret ratione gravi, sed & levi. Hæc Caramuel.

Verùm cum institutio vocum sit auctoritatis humanæ, & ab Aliquibus hæc vox, *Dubium positivum*, usurpetur ad significandam probabilitatem, non est omnino rejicienda explicatio Lugonis & Præpositi; neque plurius disputandum de nomine, quando constat de re.

Quæstio ergo prima est, an qui probabiliter judicat se commisisse homicidium, & etiam probabiliter judicat se non commisisse; similiter qui certus se commisisse, probabiliter judicat se deliberatè commisisse, & etiam probabiliter judicat se non deliberatè commisisse, teneatur confiteri se commisisse homicidium?

Satis communis sententia negat obligationem (est consultum sit confiteri) nam unusquisque potest sequi judicium prudens. Stante autem utrimque æquali probabilitate peccati mortalis, & non peccati mortalis, unumquodque prudenter judicat, se non obligari ad Confessionem, argum. Reg. Juris 65. de Reg. Jur. in 6. *In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.*

Dubitas quis hic sit possidens? Respi. tunc lex Confessionis possidet, quando verò constat, me aliquando fuisse obligatum ista lege, & dubitatur, vel probabile est, quòd non satisfecerim legi; tunc autem ego possideo meam libertatem ab onere confitendi, quando dubitatur, aut probabiliter judicatur, me nunquam fuisse comprehensum tali lege; jam autem quando dubitatur, an ego peccaverim mortaliter, vel probabiliter judicatur, me non peccasse mortaliter, dubitatur, vel probabiliter judicatur, me nunquam fuisse comprehensum lege Confessionis, ergo ego sum in possessione, & non lex Confessionis. Unde in tali casu non tantum est probabile, me non obligari ad Confessionem, sed etiam moraliter certum; quamvis solidum probabile sit, me

me non peccasse mortaliter; per consequens moraliter certum est, me non peccare omitendo Confessionem.

Dices; fieri potest ut verè peccaverim mortaliter, ergo exponitur Sacramentum periculo irreverentia. Respondeo; nullam esse irreverentiam Sacramenti, quòd in illis circumstantiis Confessio non sit materialiter integra; cum in pluribus aliis casibus absque irreverentia absolvatyr penitens, non integrè materialiter confessus. Ratio patet; quia equidem Sacramentum valet, & penitens indirectè ab omnibus absolvitur.

Quapropter nec lex Charitatis in periculo mortis obligat ad Confessionem hujusmodi peccati, dummodo adsit alia materia sufficiens Absolutionis. Sin minus, & non possit infirmus elicere actum Contritionis perfectæ, indubie cum possit illud peccatum probabile confiteri, tenebitur ex lege Charitatis confiteri, cum alioquin exponat se periculo æternæ damnationis.

Rogas quid faciendum sit, quando urget præceptum Communionis? Certè, inquit Conc. Trident. sess. 13. cap. 7. quo magis sanctus & divinitus celestis huius Sacramenti (Eucharistia) viro Christiano comperta est, eò diligentius cavere ipse debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat. Itaque quicumque probabiliter judicat, se peccasse mortaliter, ad id percipiendum non accedit, nisi præmissâ Confessione alicujus peccati, aut certè Contritione charitate perfectâ.

Sed contrà; necessitati Contritionis in antiqua lege, certò succedit necessitas Confessionis in lege gratiæ, ac proinde cum illa fuerit tunc certò necessaria de mortali probabili, ita & nunc erit Confessio. Unde sicut tunc erat favorabilis, præsumere pro illa necessitate, ita & nunc pro illa Confessione, quandoquidem Contritio nunc non remittat peccatum, nisi cum obligatione illud Clavibus subjiciendi.

Resp. Contritio nunc non remittit peccatum, quod aliunde certò constat esse confitendum, nisi cum obligatione illud Clavibus subjiciendi, concedo totum; quòd aliunde non constat certò esse Clavibus subjiciendum, nego. Instantia clara in peccato veniali, quod nunc remittitur, sicut olim remittebatur, per Contritionem charitate perfectam, sine ulla obligatione illud Clavibus subjiciendi. Ergo ex alio capite probandum est, illud peccatum mortale probabile, esse subjiciendum Clavibus, quàm ex necessitate Contritionis in periculo mortis, aut simili casu.

Probo, inquis, ex Concilio Trid. sess. 14. c. 5. ibi: Ex his colligitur, oportere à penitentibus omnia peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in Confessione recenseri; atqui penitens habet conscientiam illius peccati mortalis probabilis, ergo &c.

Distinguo Minorem: habet conscientiam probabilem, concedo; conscientiam certam, nego. Atqui sufficit conscientia probabilis. Distinguo Subsumptum; sufficit conscientia probabilis peccati mortalis commissi, quando non adest conscientia probabilis peccati mortalis non commissi, concedo; quando adest, conscientia probabilis peccati mortalis non commissi, nego Subsumptum. Et ratio est, quia tali casu potest se penitens gerere, ac si non haberet conscientiam peccati mortalis commissi, cum possit prudenter judicare, se non peccasse mortaliter. Breviter, habet conscientiam peccati mortalis, ut necessariò confitendi, nego; ut liberè confitendi, concedo; sicuti ille, qui habet conscientiam peccati mortalis prius directè absoluti.

Si replices, est petitio principii; nam quæritur, an tale peccatum probabile sit necessariò confitendum. Fateor, hoc quæritur, & ideo aliunde hoc probandum est, quàm ex istis solis verbis, quæ sicut patiuntur exceptionem in peccatis, prius directè absolutis, ita contendimus pati exceptionem in peccatis, probabiliter commissis, & probabiliter non commissis.

Urges; quando constat de substantia actus, præsumptio est contra reum; & ipsi incumbit probare defectum qualitatis; v. g. quando constat de homicidio, præsumitur deliberatum, nisi reus probet contrarium; adeoque lex homicidii possidet, & non innocentia homicidæ; ergo quando utrimque erit æqualis probabilitas pro deliberatione, & indeliberatione, debet præsumi deliberatum juxta Regulam Juris supra allegatam: In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.

Sicuti quando constat de voto externo, præsumitur deliberatio, nisi contrarium probetur, & votum censetur in possessione; adeoque in pari causa seu probabilitate præsumitur validum & obligans; argumento L. Quotiens in Stipulationibus ff. De Verbor. oblig. Quotiens in Stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, in tuto sit. Item L. Quotiens in actionibus ff. de Rebus dubiis: Quotiens in Actionibus aut exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat, quàm pereat. Consonat cap. Abbate. de Verb. signif. ibi: Profectò sic intelligenda sunt illa verba, ut res, de qua agitur, valere possit potius, quàm perire. Ergo quando constat de substantia homicidii, estò probabilis foret indeliberatio, equidem adhuc obligaret Confessio.

Resp. neg. Conseq. si omnibus consideratis, verè probabile maneat, me non peccasse mortaliter per istud homicidium; quod tunc erit, quando signa indeliberationis tanta, & tam evidentià sunt, ut vincant possessionem, si quæ sit, ipsius substantiæ actus; tanta liquidem potest esse probabilitas cause non possidentis,

M m m 3 ut

Replica solvitur.

70. Instantia.

71. Responsio.

apparent
Caramueli
479. ubi
sum à pro
1. in Prae
de Penit.
posivum
lais verbis
ud verbum
biles ratio
habere con
nquit, con
vi destitu
in dubiani
tia positivè
aber tamen
: at dubia
ret ratione
fit auctori
hæc vox;
nificandam
ficienda ex
que pluri
constat
robabiliter
, & etiam
fisse; simi
robabiliter
etiam pro
ommissis
interdictum
obligatio
nam unius
os. Stante
ate peccati
unusquis
ri ad Con
Reg. Jur.
est conditio
Resp. tunc
certò con
istà lege,
non satis
deo meam
iando du
me num
e; jam at
ecaverim
ur, me non
l probabi
compre
go sum in
Unde in
me non
m moralit
abile sit,
me



ut vincat probabilitatem causæ possidentis, & jam non potior, sed pejor sit conditio possidentis; ut patet, cum dubitatur, an dispensatio in impedimento Matrimonii valida sit; nam licet possessio stet pro impedimento; equidem illi præponderat præsumptio valoris actus, qui in dubio, & quantum fieri potest, ut constat ex iuribus mox allegatis, præsumendus est. Ita docet Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 21. n. 25.

Ergo consimiliter, probabilitas indeliberationis in tantum posset superare probabilitatem deliberationis, ut non obstant possessione, jam non potior esset conditio substantiæ actus, sed æqualis, vel inferior, id est, ut verè, aut magis probabile foret, hujusmodi homicidium non fuisse peccatum mortale; quo casu videtur homicida possidere libertatem ab onere confitendi, quod non imponitur illis, qui hoc, vel illud fecerint; sed qui hoc, vel illud faciendo, peccaverint mortaliter; cum ergo antequam illud faceret, foret liber ab ista lege seu onere, etiam post factum, donec certò probetur, illud factum fuisse peccatum mortale, certò, inquam, moraliter, ita ut moraliter contrarium non sit probabile argumento Reg. 11. de Reg. Juris in 6. *Cum sunt partium iura obscura, res favendum est potius, quam alicui.*

Reg. 11. de Reg. Juris in 6.

Planè, inquis, & ideo possessio adjudicanda legi, & præsumendum, peccatum esse commissum; nam Tribunal sacramentale est in Rei favorem, cum à Christo, ut absolvatur & liberetur Reus omni eo casu, quo ante legem gratiæ perfectè conteri debebat, institutum sit; è contrà forensis in Rei odium, cum à Principe, ut ligetur & puniatur Reus, sit institutum (de hoc foro proinde intelligitur hæc Regula Juris: *In dubio delictum non presumitur*) Reum autem absolvi & liberari favoris est; ligari & puniri è contrà odii, odia verò restringenda, favores verò ampliandi. Ita Bonæ Spei to. 4. tract. 2. de Act. Hum. disp. 6. n. 181.

72. que à Bonæ Spei adducitur pro parte oppositæ;

Sed (pace tanti viri) quis Theologus ignorat, à Christo dictum Apostolis Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*, adeoque Tribunal sacramentale à Christo institutum, non tantum, ut Reus absolvatur & liberetur; sed etiam ut puniatur, & ligetur? Ergo etiam de hoc foro intelligitur hæc Regula Juris (prout eam vocat Bonæ Spei) *In dubio delictum non presumitur*, scilicet, ut necessariò confitendum, ita ut à Sacerdote retineri possit.

sed peccata rem.

Non videtur hic Auctor agnovisse aliquam distinctionem inter potestatem confitendi, quæ indubiè favorabilis est, & obligationem confitendi, quæ vulgò habetur odiosa & onerosa. Et verè eodem modo potuissent homines liberari & absolvi à peccatis mortalibus, si Christus reliquisset Sacramentum liberum. In quo ergo favorabilis obligatio?

73. Potestas confitendi favorabilis, obligatio autem videtur odiosa.

Non video, nisi in eo ad summum, quod aliàs, vix aliqui graviores peccatores confitentur, & quod per illam obligationem aliqui à peccatis coercantur. Quamvis ergo potestas absolvendi, tanquam omnino favorabilis, extendenda foret, equidem potestas ligandi, tanquam odiosa, omnino restringenda videtur; porro obligatio confitendi colligitur ex potestate ligandi.

Præterea quod ait Bonæ Spei: *Tribunal sacramentale institutum, ut absolvatur, & liberetur Reus omni eo casu, quo ante legem gratiæ de peccato perfectè conteri debebat*, sic generaliter intellectum, prout sonat, falsum est; nam nemo ignorat, ante legem gratiæ necessariam fuisse Contritionem perfectam de omnibus peccatis mortalibus, etiam ante Baptismum commissis, & tamen certum est, Tribunal sacramentale non fuisse institutum, ut Reus absolvatur & liberetur à peccatis ante Baptismum commissis. Igitur materia necessaria Confessionis non est præcisè illa, quæ ante legem gratiæ erat materia necessaria Contritionis, sed omnia peccata mortalia, in quæ Christi fideles ceciderint.

Unde Concilium Tridentinum nupiam colligit materiam necessariam Confessionis, ex materia necessaria Contritionis, quamvis doceat, Contritionem Charitate perfectam in lege gratiæ non reconciliari hominem Deo, absque Sacramenti voto, quod in illa includitur, ex hypothesi; quod homo, qui reconciliatur, habeat peccata mortalia, ex institutione Christi necessariò confitenda.

Alioquin certum est, quod in lege gratiæ Contritio Charitate perfecta possit hominem Deo reconciliari, absque Sacramenti voto; v. g. si aliquis suscepisset Baptismum sine novo peccato, & sine fructu Sacramenti; qui bona fide existimavit se legitime dispositum, cum tamen reverè non esset sic dispositus, talis utique justificaretur & liberaretur à peccatis, commissis ante Baptismum, per Contritionem Charitate perfectam, absque voto Sacramenti Penitentia. Ergo necessitas Contritionis, non probat sufficienter necessitatem Sacramenti Penitentia.

Enim verò Sacramentum Penitentia hædiquam successit in locum Contritionis perfectæ; sed Contritio perfectà remanente in sua pristina vi & efficacia, remittendi omnia omnino peccata, tam mortalia, quam venialia, Christus aliud medium instituit, pro delendis omnibus peccatis, post Baptismum commissis; idque necessarium pro peccatis mortalibus, liberum autem pro venialibus.

An autem peccatum, quod probabiliter est mortale, & etiam probabiliter solum veniale, absolute debeat censerì mortale in ordine ad Confessionem; an verò possit reputari tanquam solum veniale, de hoc disputamus. Et eligimus

BOBIC

eligimus partem posteriorem, argumento l. 9. ff. de divers. Reg. Juris: Semper in obscuris, quod minus est, sequimur. Item l. 20. Quotiens dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit. Item l. 56. Semper in dubiis benigniora preferenda sunt.

Cum ergo obscurum, & dubium sit praeceptum Confessionis tali casu, consequenter dubia interpretatio libertatis, minimum sequimur, & secundum libertatem respondemus, atque benigniora preferentes dicimus, tale peccatum esse materiam sufficientem Absolutionis, non tamen necessariam: & ideo delicti posse per Contritionem Charitatem perfectam, casu quo revera commissum foret, absque voto Sacramenti, eodem modo, quo peccata venialia.

Atque haec à fortiori evidentiora fient ex illis, quae mox edissero de peccato proprie dubio, sive dubio negative, quando, omnibus consideratis, intellectus haeret suspensus, non determinans assensum in alterutram partem, utpote carens rationibus gravioribus ad probabiliter judicandum, fuisse commissum peccatum mortale, aut non fuisse commissum.

Equidem si dubium sit de substantia actus, nullam esse obligationem confitendi, in terminis docet Petrus Marchant tom. 1. Trib. Sacram. tr. 4. tit. 6. q. 5. concl. 4. quae talis est: Qui simpliciter & verè dubitat de toto facto, eius substantia, sive: An verè fecerit, vel factum fuerit id, de quo dubitat: est aliis illud peccatum esse, non tenetur etiam sub dubio confiteri. Ratio est: quia in omni scientia reali & iudicio, primò supponendum est: Quòd res sit, & quòd factum sit. Cum igitur, ut supponimus, dubitet penitens: An sit factum? sive, An à se factum? Sicut ipse iudicium aliquod formare non potest, sic minus Confessarius, qui non nisi ex relatis à penitente iudicare potest. Haec ille; existimans, huiusmodi peccatum dubium non esse materiam iudicii.

Et in hoc, inquit, applicanda est certissima regula Juris: In dubiis meliorem esse conditionem possidentis. Nemo enim spoliandus est innocentia & iustitia, quam possidet, quamdiu non probatur nocens. Nec lex aliquem virgâ suae animadversionis ferire censetur, nisi & factum sit manifestum, & contra legem peccatum esse iudicetur.

Et infra sic scribit: Ubi tamen in alteram partem contra me contingit dubium probabilis inclinare, tunc demum deo & teneor illud supponere Clavibus; quia *Conditio possidentis transit in iustitiam Legis*. Unde si quandoque DD. dicant, talia esse confitenda; intelligendi sunt, non tam de Confessione ad iudicium, & Absolutionem, quam ad consilium à Confessario capiendum; quod & ipsam consistit, & non praecepti, nec necessitatis. Hucusque Marchantius.

Paulò aliter Coninck disp. 7. n. 69. dicens: Qui tertio modo dubitat, an aliquid fecerit, quod credit esse peccatum, non tenetur confiteri; quia ad hoc requiritur, ut saltem probabiliter possim iudicare, me peccasse, quod talis nequit facere.

Quæris, quis sit ille tertius modus? Resp. Regius; quando pro neutra parte occurrunt sufficientes rationes, quæ etiam per se, sive, sine rationibus oppositis considerata, possent inducere ad iudicium aliquo modo probabile formandum. Dicimusque, inquit ille, ita dubitantem; an aliquid commiserit, quod scit esse peccatum; non teneri confiteri; quia tale dubium non est rationabile, sive quòd prudentem in ordine ad praxim movere possit, & vix nisi in scrupulosis reperitur.

Quid ergo si pro ut à que parte aliquas habeat rationes suo iudicio probabiles, quibus, si pro una sola parte occurrerent, moveretur, ut eam crederet esse probabilem, sed quia similes pro alia parte occurrunt, quibus illarum vis eliditur, hæret dubius, nec potest pro hac, aut illa parte iudicium ullum elicere? Existimat Coninck, hunc teneri tale peccatū ut dubium confiteri, & de tali casu intelligit cõmuniter Auctores, qui docent, peccata dubia ut dubia esse confitenda.

Sed contra; hoc ipso quo aliquis ita hæret dubius, iam habet rationem sufficientem probabiliter iudicandi se non peccasse; nam *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis*; ipse autem possidet suam innocentiam; ergo non tenetur confiteri secundum eundem Auctorem ibidem nu. 68. ubi sic ait: Qui secundo modo dubitat, an peccarit, non tenetur confiteri; quia cum possit probabile formare iudicium, se non peccasse; potest illud sequi.

Igitur amplector sententiam Marchantii, & dico, etiam in casu; quo essent rationes probabiles pro utraque parte, quæ scorsim sufficerent ad iudicandum materiale peccati fuisse commissum; interim hic & nunc iudicium manet in sensum, nullam esse obligationem confitendi huiusmodi peccatum, etiam tamquam dubium; considerata præcisè vi verborum legis, quæ sic sonant: *Ex his colligitur oportere à penitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint &c.* Trident. sess. 14. c. 5. Et can. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento Penitentia ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria eum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta &c. anathema sit.* Subsumo; atqui peccata, hoc modo negative dubia, non debent dici simpliciter, peccata mortalia; quorum memoria habeatur, nequidem occulta; ergo iure divino non est necessarium illa confiteri.

Probatur Subsumptum; quia quæcumque alia

77. Quid. sent. tiz de hac re Coninck.

78. Objectio, elidit n. l. illi contra ea quæ dicitur in articulo 1. quod si quis peccatum dubium non tenetur confiteri.

79. Auctor amplexitur sententiam Marchantii.

& probat eam ex verbis Trident. sess. 14. c. 5. ubi dicitur: Si quis dixerit, in Sacramento Penitentia ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria eum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta &c. anathema sit.

80. alia

Peccatum
sic dubium
non debet
simpliciter
dici pecca-
tum.

Reg. 15. de
Reg. Juris
§ 6.

alia res tali modo negativè dubia, non debet dici simpliciter talis res, v. g. homo tali modo negativè dubius, non debet dici simpliciter homo, intellige in odiosis, nam in favorabilibus præsumi potest homo, juxta Reg. Juris 15. de Reg. Jur. in 6. *Odia restringi, & favores, conveni ampliare.* Ergo cum obligatio confitendi vulgò censetur odiosa, peccatum mortale eo modo dubium negativè, non debet dici simpliciter peccatum mortale in ordine ad istam obligationem, quamquam possit dici simpliciter peccatum in ordine ad potestatem confitendi, quæ favorabilis est.

Quamvis ergo latè intelligendò verba Concilii, hujusmodi peccata dubia possent dici esse in memoria, seu conscientia pœnitentis, id est, pœnitentem habere memoriam & conscientiam, seu certam scientiam illorum peccatorum, non tamquam certò, sed tamquam dubiè commissorù, quod sufficere videtur, ut illa peccata dubia possit quis confiteri, & ab illis tamquam dubiis absolvi; equidem stricte interpretando illa verba, potest & debet dici, pœnitentem non esse sibi conscientem illorum peccatorum, scilicet, tamquam certò commissorum, & ideo non obligari ad eorum Confessionem, cum illa obligatio vulgò reputetur odiosa seu onerosa.

81.
In dubio,
an casus sit
reservatus,
non tenetur
pœnitens
adire Superiorem.

Confirmatur: in dubio, an casus sit reservatus, non tenetur pœnitens adire Superiorem; idque, quia casus delicti dubii, v. g. dubii homicidii, non est delicti simpliciter, sed secundum quid. Intellige, nisi esset præsumptio fori externi pro veritate delicti; quia stante hac præsumptione, est possessio pro certitudine delicti; v. g. reservatur hæresis externa, conjuncta hæresi interna; dubitas, an dum exterius protulisti verba hæretica; id feceris animo significandi errorem internum, vel animo jocandi; censetur casus reservatus, quia cum naturaliter verba sint signa mentis, præsumitur mens, non tantum in foro externo, sed etiam interno; quia hæc judicia non sunt diversa, nisi quando forum externum nititur falsa præsumptioni, & in foro interno constat contraria veritas.

82.
Adversario-
rum dispa-
ritas inter
reservationem
& obligacionem
non confitendi.

Respondent Adversarii; esse diversam rationem reservationis, & obligationis confitendi; quia, inquirunt, reservatio peccati, cum sit lex pœnalis, & ablatio potestatis, intelligitur stricte de iis solum delictis, quæ sunt simpliciter talia; homicidium autem dubium non est simpliciter homicidium, sed secundum quid. At verò lex Confessionis non est reservatio, aut ablatio potestatis, sed potius communicatio potestatis, quæ Christus potestatem, quam ipse habebat circa peccata communicavit Apostolis, tamquam suis Vicariis, ut loco ipsius in ejus Tribunali sederent. Sicut si Episcopus relinqueret Vicarium, cum facultate & potestate eadem, quam

ipse habet, intelligeretur etiam relictus ad peccata dubia, & subditi deberent ad illum recurrere, sicut ad Episcopum.

Cum ergo homines antea deberent recurrere ad Christum pro peccatis etiam dubiis, eodem modo debent recurrere ad ejus Vicarios: nam concessio jurisdictionis & potestatis est res favorabilis, & latè interpretanda. Quare Christus communicans suam potestatem Apostolis circa peccata, intelligitur illam communicasse plenè, etiam circa peccata dubia, sicut erat in Christo; per hoc enim nulli auferbat potestatem, sicut auferatur per reservationem, sed potius communicabat suam de novo. Ita Lugo disp. 16. n. 75.

Sed contra; tamen Christus per legem Confessionis non abstulerit potestatem Apostolis, sed communicaverit; equidem abstulit potestatem pœnitentibus, per quam ante legem Confessionis justificabantur solà Contritione Charitate perfectà, absque voto Sacramenti; ergo ex hac parte illa lex est onerosa, & non favorabilis respectu pœnitentium, qui, sicut antea dixi, eodem modo potuissent liberari & absolvi à peccatis suis, si Christus hoc Sacramentum reliquisset omnino liberum: proinde licet concessio potestatis & jurisdictionis favorabilis sit, in quantum data est, ut reus liberetur & absolvatur; attamen in ordine ad detentionem culpæ, sive in quantum data est, ut reus ligetur & puniatur censenda erit odiosa, & per consequens restringenda.

Fateor, Christum concessisse eandem potestatem sacramentaliter absolvendi Apostolis, quam ipse habebat; sed non clarè constat, quòd fideles debuerint sacramentaliter recurrere ad Christum pro peccatis dubiis; eisdem debuerint recurrere per Contritionem Charitate perfectam ad Christum, tamquam ad Deum, qui est objectum formale Contritionis, qui recursus non habet locum in Apostolis, ut patet.

Non abnuo, Christum potuisse sic institueri Sacramento Pœnitentiæ; quòd recurrit ad se, & ad Apostolos suos pro peccatis dubiis fuisset necessarius; sed etiam non ignoro, potuisse sic institueri, quòd recursus ille tamen foret necessarius pro peccatis mortalibus certis. Cumque verba legis satis verificentur de solis peccatis mortalibus certis, neque ratio plùs postulet; nisi aliud signum accedat voluntatis divinæ, quæ vult etiam comprehendere peccata mortalia dubia, dico, verba legis non esse ad hæc extendenda, sed potius ad illa restringenda.

Dices cum Lugone supra n. 76. In hoc Sacramento, si sermo sit de peccato capaci retentionis, non minùs extenditur potestas retinendi, quam potestas remittendi; de eisdem enim peccatis dixit Christus: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, re-*

tena sunt. Nam licet peccata venialia possint à Sacerdote remitti, & non possint retineri, hoc provenit ex incapacitate materiæ; quia scilicet peccatum veniale non potest retineri, cum non sit obligatio petendi veniam ipsius in hac vita. In hoc autem Sacramento non fuit imposta obligatio circa novam materiam, sed circa eandem, circa quam erat obligatio recurrendi ad Tribunal Dei in hac vita pro venia peccati, substitutum fuit Tribunal Sacerdotum, quibus sicut per illa verba datur potestas remittendi plena extensivè, qualis est in Christo, sic datur potestas retinendi. Hactenus Cardinalis.

87. Respondeo; quod non fuerit imposta obligatio in hoc Sacramento circa omnem materiam, circa quam erat obligatio recurrendi ad Tribunal Dei in hac vita; quia non circa peccata commissã ante Baptismum; sicut ergo hæc peccata excipiuntur ab illis verbis: *Quorum remiseritis &c.* ita etiam excipi poterunt, Deo sic volente, peccata dubia; idque non immerito, putà, quia incertum est, an sint materia capax retentionis; nam si reverà peccata mortalia non sint (sicut natum est sapius fieri) liquet profectò, non esse materiam capacem retentionis magis, quàm peccata venialia. Propter ergo illam incertitudinem, & quia aliunde retentio odiosa est, potuit rationabiliter Christus nolle, illa peccata esse materiam retentionis, quamvis aliquo voluisset esse materiam Absolutionis seu remissionis, tanquam actus omnino favorabilis.

Deinde, quod peccata venialia possint à Sacerdote remitti, & non possint retineri, id est, quod non sit obligatio illa confitendi, quamvis possint confiteri, non provenit præcisè ex incapacitate materiæ (quis enim dubitat, quin Christus, si voluisset, potuisset præcipere Confessionem venialium?) sed ex divina Clementia, quã judicavit onus confitendi futurum satis grave, & amarum peccatoribus, tametsi afficeret sola peccata mortalia.

Ergo consimiliter, ut onus Legis Evangelicæ, non diceretur onus importabile, instar veteris Legis, sed esset omnibus magis suave & leve, potuit rationabiliter nolle imponere onus confitendi peccata mortalia dubia & incerta, quæ frequentissima sunt, ut docet quotidiana experientia; cum adhuc satis grave videatur multis hominibus, maxime peccatoribus, onus confitendi peccata mortalia certa.

Igitur potuit nolle; noluisse præsumitur, nisi clarè ostendatur voluntas contraria. Nam libertas est in possessione, quã non debet quippiam spoliari; nisi moraliter certò constet de obligatione. Non constat autem ex verbis legis, utpote quæ commodè possint intelligi de peccatis mortalibus, quæ simpliciter talia sunt, id est, moraliter certa.

86. Nequaquam, reponit quippiam, commodè

possunt intelligi verba legis de solis peccatis mortalibus certis, neque enim simpliciter nominantur peccata mortalia, sed cum addito: *Etiamsi occultissima illa sint*, modò diligenter cogitanti occurrant. Jam autem peccata dubia diligenter cogitanti occurrunt, non tanquam manifesta, sed tanquam occulta, seu occultissima. Et sanè Concilium illam particulam: *Etiamsi occultissima illa sint*, expressisse, ut comprehenderet peccata dubia, patet; quia condemnat errorem Lutheri, qui (teste Joanne Eckio Homil. 43. de Confess. circa finem) docebat, peccata dubia non esse confitenda.

87. Sequitur, inquit Eckius, quod evasio Lutheri, quã nititur effugere, nulla sit; primum enim antequam rem totam in hunc deformem statum perduceret, admodum lentè procedebat scribens, *Manifesta tantummodo peccata esse confitenda*; quod cum ei exprobraretur, glossam confinxit hujusmodi, *quod manifesta peccata non ea non vocaret, quæ non essent occulta, sed quæ certò confitent esse peccata, & de quibus dubium non sit*. Errorem hunc eoque perduxit, ut sui jam sectatores nec manifesta confiteantur peccata, neque occulta. Ineptum autem, & falsum est hoc ipsum Lutheri propositum, etiamsi in eo persistisset, quamvis pro sua inconstantia non perseveraverit. Nam cum alicui non constaret, feceritne hujusmodi peccatum, aut non; & si fecit, veniale sit, an mortale; adhuc tamen tenetur idipsum confiteri: tunc enim arripit Sacerdos Claves scientiæ, ut sic pro potestate sua dijudicare queat inter lepram, & non lepram: quoniam in veteri quoque Testamento, quando constabat de lepra alicujus, non magno opus erat arduo judicio, sed in dubiis tantum penes Sacerdotes erat judicium; ita quoque quum confitens dubitat de aliquo, sitne peccatum, an non, debet idipsum confiteri, ut ex judicio Sacerdotis certior fiat; aliàs certò succedit hæc regula Doctorum: *Quisquis se exponit periculo peccati mortalis, peccatum facit mortale*: consonat illud Sapientis: *Qui amat periculum, peribit in illo*. Hucusque Eckius.

Et lib. 3. de Pœnit. c. 11. ponit hunc titulum: Ostenditur contra Ludderum etiam dubia esse confitenda. Et infra: Assero adhuc, Ludderum errare, & peccasse in veritatem Catholicam. Quod si Erasmus in hoc ei consensisset, quod non credo, simili lapsu à veritatis tramite aberrasset. Quoniam tenetur homo ad confitendum, non solum peccata nota, sed etiam dubia. Volo dicere, quando Titio non est manifestum, hoc esse peccatum mortale, quod fecit, sed dubitat, adhuc tenetur confiteri illud. Et rursum infra: Omnes Catholici documentum hoc Ludderanum fugere debent, velut pestem animarum, & toxicum Sacramenti pœnitentiæ.

88. Accedat testimonium Rossensis, qui ad hunc articulum

N n n

88. Rossensis

articulum Lutheri: Nullo modo presumas confiteri venialia peccata, sed nec omnia mortalia; quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifesta (aliis manifesta) mortalia confitebantur. Ita respondet: Opinor neminem usque adeo cæcum, & insanum, ut ob unius Lutheri sententiam, velit tanto discrimini se exponere, quatenus ea peccata, quæ norit, vel quæ dubitat esse lethalia Sacerdoti non aperiat.

Et infra, cum Lutherus diceret, se locutum de his mortalibus, quæ aut aliis, aut sibi manifesta sunt. Respondet Roffensis: Si de iis intellexeris, quæ confessus norit, vel dubitat esse mortalia, tum profectò articulus meritissimè damnatur; cum nullum horum in Confessione tegi possit, absque manifesta fictione.

Jacobus Latomus;

Ejundem opinionis videtur fuisse Jacobus Latomus S. Theol. Lovanii Professor art. 5. contra Lutherum, ubi sic ait: Qui dubitat an peccaverit; an non? Et an consensus ad illicita sit mortalis, vel perfectus & plenus, an non? Nonne tutius erit confiteri? Et quis secundum Martinum (Lutherum) assecurabit penitentem de remissione? Et nonne in tali casu non confitens amat periculum; contra illud Eccli. 3. Qui amat periculum, peribit in illo?

89. & Bellarminus.

Denique Bellarminus lib. 3. de Pœnit. c. 1. Dubitari, inquit, solet, quid per manifesta peccata, quæ sola ad Confessionem pertinere voluit Lutherus, intellexerit; non enim defuerunt olim, qui eum excusare vellent. Aur igitur manifesta peccata occultis opposuit, aut dubiis, aut omnino incognitis, etiam ipsi peccatori. De omnino incognitis non potest esse locutus, ea siquidem ne Catholicis quidem volunt esse confitenda: neque carnificinam Lutherus appellasset sententiam Catholicorum, si in eadem sententia etiam ipse fuisset. De occultis non se etiam locutum, testatur ipse in assertionem 8. Quare id solum restat, ut de dubiis intellexerit, qui certè non parvus est error. Hucusque Bellarminus.

Proinde videtur hanc doctrinam damnata à Leone X.

Quis ergo non videt Lutherum docuisse, peccata mortalia dubia non esse in Confessione exprimenda, proinde doctrinam hanc damnatam fuisse à Leone X. Bulla: Exurge Domine 40. apud Cherubinum, in qua inter alios articulos Lutheri proscriptos, octavus est: Nullo modo presumas &c. ut supra? Per consequens de iisdem peccatis videtur intelligendum Concilium Trid. quando sess. 14. c. 5. docet, Oportere à penitentibus omnia peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint.

90. respondeo.

Respondeo mens Lutheri ex verbis ejus non poterat certè cognosci, teste Roffensi supra; ubi Luthero sic dicenti: Ego de his mortalibus locutus sum, quæ aut aliis, aut sibi manifesta sunt, ut satis in propositionibus & dictis meis

patet; Bulla autem (Leonis X.) insidiosè loquitur, ac si de solis publicis, omnium sensu cognitis, sermone locutus. Respondet: Tam involutè loqueris, ut nemini certè cognitum esse possit quid loquaris; sic enim dicis & scribis, ut (quum tibi libitum sit) omni passus anguillâ facilius elabi.

Quidquid ergo sit de mente illius Hæresiarachæ, liquet profectò, Ecclesiam verba ipsius intellexisse de solis peccatis publicis omnium sensu cognitis, sive de solis peccatis externis; nam cum hoc ei exprobraretur, ait Eekius supra, glossam confinxit ejusmodi, quod manifesta peccata non ea non vocaret, quæ non essent occulta, sed quæ certè consent esse peccata, & de quibus dubium non sit.

Si hoc ei exprobratum fuit, ergo Catholici illius temporis, sic intellegebant ejus verba, & secundum istum sensum censebant Pontificem damnasse præfactum articulum, prout & ipse Lutherus cenlebat, ut patet ex verbis ejus supra allegatis, adeoque non damnasse illum articulum intellectum de peccatis dubiis, qui utique intellectus non erat Lutheri; nam confinxit eum, inquit Eekius supra, ut sic evaderet exprobrationem Catholicorum. Unde errorem suum, quem à principio habuerat in mente, & verbis involutis expresserat, procedente tempore eò ulque perduxit, ut sui jam sectatores, nec manifesta confiteantur peccata, id est, peccata externa omnium sensu cognita, nec occulta, id est, interna & soli peccatori cognita, nec dubia peccata, nec certa.

Profectò Concilium Tridentinum per peccata occultissima, non intelligere peccata dubia mihi manifestissimum est ex verbis adjunctis: Etiam si, inquit, occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum gravius sauciant, & periculosa sunt iis, quæ in manifesto admittuntur. Ecce occultissima opponit iis, quæ in manifesto admittuntur, id est, peccatis externis. Ergo per occultissima non intelligit peccata dubia, cum hæc etiam in manifesto possint admitti; neque enim de solo actu interno, vel externo per accidens occulto, potest esse dubium, an sit peccatum mortale, vel veniale; sed etiam de actu externo & publico. Igitur ex verbis præcepti non sufficienter probatur obligatio confitendi peccata dubia.

Neque ex ratione, quam supra allegat Eekius ibi: Tunc arripit Sacerdos Claves scientiæ, ut sic pro potestate sua judicare possit inter lepram, & non lepram &c.

Fateor, Sacerdos arripendo Claves scientiæ pro potestate sua potest, immo debet judicare inter lepram, & non lepram, id est, inter peccatum mortale & non mortale, antequam pro potestate Clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntiet, ut suo loco diffusius explicabimus; interim

interim communiter docent Theologi, Confessarium debere sequi opinionem penitentis, si verè est probabilis. Ergo etiam ipsius quodammodo est discernere seu dijudicare inter peccatum mortale, & non mortale.

Omitto, penitentes aliquando meliùs posse ista peccata discernere, quàm ipsi Confessarii, quibus à Deo non est specialiter promissa aliqua assistentia in discernendis peccatis, sed studio & ingenio opus est, quæ subinde amplius reperiuntur in penitente, quàm in Confessario; si ergo ipse penitens, magis doctus & ingeniosus, non possit se resolvere, & judicare, an actus commissus sit peccatum mortale, vel veniale, neque Confessarius, minus doctus & ingeniosus, id poterit. Ut quid ergo tunc ad illum recurritur pro tali discretionem?

Alioquin si penitens stupidus est, & vincibiliter ignorans, seu dubitans de qualitate delicti, vel tenetur dubium suum aperire Confessario, vel alteri viro prudenti & docto, qui novit qualitates seu gravitates delictorum discernere; siquidem tenetur quisque diligentius se excutere, & conscientie suæ sinus omnes & latebras explorare, vel per seipsum, si potest, vel per alium, ut docet quotidiana praxis Confessoriorum, qui homines rudes, accedentes ad Confessionem examinant de peccatis, si forte aliqua commiserint, quæ aliàs vinciibiliter non exprimerent.

Et sanè si de talibus hominibus loquuntur præallegati Auctores, qui cum sibi non sufficiant ad discernendam gravitatem delicti, nolunt sua dubia exponere Confessariis, ne forte gravioris delicti arguantur, placet eorum doctrina; siquidem in talibus succedit hæc Regula: *Quisquis se exponit peccati mortalis, peccatum facit mortale*; etenim culpabili eorum negligentia accidit, ut forte non fiat Confessio integra, id est, ut non explicetur peccatum certum, quod alioquin deberet explicari, & explicaretur, si dubium proponeretur Confessario.

Atque hinc fortè inducta est praxis confitendi peccata dubia, etiam à temporibus Apostolorum; cum enim passim fideles non sufficerent sibi ipsis in discernenda qualitate delictorum, adeoque diligens discussio conscientie postularet consilium seu iudicium tertii, ne pluribus suam conscientiam aperirent, ipsos Confessarios consulendos existimarunt super peccatis dubiis, & ideo passim hæc confitebantur tanquam dubia; quod autem viri docti, qui sibi ipsis sufficiebant ad discretionem peccatorum, à temporibus Apostolorum confessi fuerint peccata dubia tanquam dubia, unde constat? Et dato quod confessi fuissent, unde probatur, quod hoc fecerint ex obligatione, & non tantum, quia tutius?

Quia, inquis, si tutius est confiteri, sicuti

reverè est; ergo obligatorium, argumento cap. *Ad audientiam*. 12. de Homicid. ubi Clemens III. sic ait: *Quia vero, atrim occasione vulneris decessisset, dubium habetur: vestra discretioni duximus respondendum, quod cum in dubiis, semitam debeamus eligere tutiorem, vos conveni intingere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministraret.*

Simili modo respondet Innocentius III. Abbati S. Trinitatis de Meldembereh cap. *Significasti*. 18. eodem tit. ibi: *Quod si discerni non possit, ex cuius ita percussus incertus, in hoc dubio, tanquam homicida debet haberi Sacerdos: & si forte homicida non sit, à Sacerdotali officio abstinere debet, cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temerè celebrare: pro eo quod in altero multum, in reliquo verò magnum periculum timeatur. Cum ergo incertum sit, an peccata dubia sint confitenda, & certius sit esse confitenda, atque tutius confiteri, quidni debeamus confiteri?*

Respondent Aliqui; hic imponitur speciale mandatum in favorem Sacrificii Altaris, ut ab illo abstinatur in dubio de homicidio, dummodo certò constat de vulnere. Assignant autem Pontifices pro ratione illud commune principium: *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*; per modum congruentiæ (quippe hæc verba, & similia, tenetur oportet, debet, aliquando in iure significant debitum decentiæ & honestatis, ut videre poteris apud Gratianum Disceptationum forensium c. 146. n. 18. & alios Jurisconsultos) & ideo quamvis ratio sit universalis, non tamen propterea decisio. Atque dicendo hanc partem esse tutiorem, videntur significare, aliam esse tutam, secluso speciali mandato.

Et profectò periculum, si quod est in casu dubio, puta ne quis celebret existens re ipsa homicida; idem omnino reperitur, quando probabiliter commissum est homicidium, & etiam probabiliter non est commissum, & tamen tunc non incurritur irregularitas secundum communem sententiam.

Quid dicam, quod Innocentius cap. *Significasti*. mandat imponi Penitentiam ad cautelam, quamvis medici probabiliter iudicarent, vulnus non fuisse lethale? Et quidem (inquit) *si hoc ita se habet (quod forsitan ex eo posse ostendi, si certa apparuisset percussio ab eodem inflicta tam modica, & tam levis, in ea parte corporis, in qua quis de levi percussus non solet ad mortem, ut periculum iudicio medicorum talis percussio assereretur non fuisse lethalis) cum de ceteris credendum sit ipsi, qui non accusatur, vel denunciatur ab aliquo, sed per se ipsum consilium appetit salutare, post Penitentiam ad cautelam inunctam, in Sacerdotali potestati officio ministrare. Ergo hæc Constitutio est specialis, & non extendenda ad similes casus.*

Ut omittam, casum nostrum fortè non esse similem, præsertim quando dubitatur de sub-

Objectio ex cap. Ad audientiam de Homicid.

& cap. Significasti eod.

80. otuado

98. Respondetur in illis iuribus imponi speciale mandatum.

99. utinam

utinam

101. utinam

97. & forte

causam propositam non esse similem

stantia actûs; nam tunc est dubium juris, in quo pars minus tuta eligi potest, si revera tuta sit; quia tunc homo possidet suam libertatem. At verò in iuribus præallegatis apparet Multis, esse dubium facti, propter certam percussorem, ratione cuius præsumptio est contra percussorem, & ipsi incumbit probare ex vulnere inflicto non fuisse subsecutam mortem; adeoque lex irregularitatis videtur esse in possessione.

98. Objectio solvitur.

Si dixeris; etiam hic non dubitatur de lege, sed solum de peccato. Resp. non dubitatur, an sit lex Confessionis, sed an comprehendat peccatum dubium; adeoque non negamus, legem Confessionis esse in possessione, sed negamus esse in possessione huius casûs; quia ad talem possessionem requiritur, quòd certò constet legem esse latam pro hoc casu, estò dubitetur, an hic & nunc eximatur; v. g. constat certò peccatum mortale homicidii fuisse commissum, & dubitatur an pœnitens habeat iustam causam hic & nunc illud non confitendi, tali casu lex Confessionis censetur esse in possessione; quia clarè constat ipsam esse latam pro peccato mortali certo. At verò dubitatur, an sit lata pro peccato mortali dubio, & ideo quamdiu non est peccatum mortale certum, homo manet in possessione suæ libertatis; id est, ab illa possessione, quæ ante exortum dubium erat certa, non debet deturbari, propter illud dubium superveniens.

99. Instans.

Instit; per illud dubium redditur possessio mea dubia; nam dubitatur, an non perderim meam libertatem. Aliud est, quando possideo rem aliquam externam, & supervenit dubium, an sit aliena; quia non obstante hoc dubio, adhuc certa est mea possessio, nam si verè possidet rem furtivam; ergo propter hoc dubium superveniens, non debeo privari certâ possessione facti, quam vocant Theologi, estò possessio juris sit incerta. At verò in casu nostro, cum nulla sit possessio facti, sed solius juris, ut sic loquar, & hæc dubia, quomodo erit melior conditio possidentis?

Responso.

Respondeo; datur possessio facti non solum rerum corporalium, sed etiam incorporalium, puta, census, beneficii, servitutis, & similia; ergo datur possessio libertatis à lege, possessio inquam, non solum juris, sed etiam facti, hæc autem certa fuit ante exortum dubium de lege lata; & quamvis per illud dubium reddatur incerta mea possessio juris, nam queritur, an iure possim non servare legem, quam de facto non observo; equidem manet certa mea possessio facti, quamdiu illam non observo.

100. Alia objectio.

Arguis rursùm; etiam dum vulnus certum est, & incertum, an ex illo vulnere secuta fuerit mors, dubium est juris; nam quamdiu manet factum dubium, manet delictum non probatum; adeoque jus condemnans ad irregularitatem, non est in possessione; non enim

homicidium est, quo ego satisfacio obligationi antea contractæ, sed potius quo primò incipit obligatio, aut quo primò illum incurro; proinde pertinet ad causam obligationis, sive ad jus.

Respondeo; sic fortè posset dici, si solum esset inflicta irregularitas ad positionem homicidii; sed cum etiam investigatur ad positionem dubii homicidii, modò ad sit certitudo dari vulneris, patet, quòd non sit dubium juris, sed facti. Esset autem dubium juris, si vulnus esset dubium; adeoque tunc Sacerdos posset in sacris Ordinibus ministrare, non obstantibus iuribus præallegatis.

Atque ut Pontifices nihil novi in illis iuribus præcepissent, quòd Aliqui existimant; equidem dici posset, ut supra insinuavi, in casu certæ percussoris, potius esse dubium facti, quàm juris; nam præsumptio est contra percussorem, adeoque habetur pro homicida, nisi contrarium probet; ergo in dubio iudicandum pro lege, quæ per illud vulnus accepit possessionem contra vulnereantem.

Et consequenter idem dici posset impropriè sentiatum, quando constat de substantia actûs, v. g. de homicidio perpetrato, & solum dubitatur de qualitate, v. g. an fuerit plenè deliberatum, consequenter an fuerit peccatum mortale. Atque in tali dubio esse obligationem confitendi, docet Marchant supra concl. 5. sequentis tenoris: *Quando pœnitens certus est de actu a se commissio quoad substantiam, dubitat verò tantùm de aliquo eius modo, circumstantia, obligatione, num inducant peccatum mortale? Quamdiu in aliquam partem probabiliter non inclinat, tenetur actum quidem confiteri absolute, exprimens tamen dubium sive causam dubii, in quo versatur*

Rationem assignat; quia ipsum factum est revera materia sufficiens iudicii; modus autem, circumstantiæ, obligationes, cum de illis verè pœnitens dubitet, an peccatum mortale inducant, necessitatem iudicii inferunt; cum Confessoriorum in Sacramento Pœnitentiæ sit iudicare inter lepram & lepram, lepram & non lepram. Quamdiu igitur pœnitens dubius manet, illorum iudicio dubium, & dubii causam submittere debet, aliàs exponit se periculo invalidæ Confessionis, & sacrilegii in Sacramento.

Nec illum juvare potest axioma juris, quo dicitur: *Melior est conditio possidentis*. Hoc ipso enim, quo de actu peccaminoso certus est, jam perdidit possessionem libertatis; & lex, & Iudex jus, & auctoritatem accipiunt illum compellendi ad iudicium, tum ratione actûs, sive transgressionis legis, de qua peccator sibi conscius est; tum ad examinandos modos, circumstantias, & obligationes actûs peccaminosi, ut debitis pœnis feriat. Hucusque præfatus Auctor.

Verumtamen cum pœnitens in hoc iudicio sit reus, advocatus, & testis, ad ipsum spectat

Est examinatio causae, & examen à Tridentino committitur non Confessario, sed penitenti; ergo non solius Confessarii est discernere inter lepram & lepram, lepram & non lepram; sed etiam quodammodo ipsius penitentis, quando hic capax est illius discretionis, juxta superius dicta. Ergo aliunde probandum est, quod debeat lepram dubiam, quam Sacerdos non potest melius discernere, quam ipse penitens, debeat, inquam, judicio Sacerdotis submittere.

Igitur propter hanc solam rationem non subscriberem isti Conclusioni; sed potius; quia tunc lex Confessionis videtur esse in possessione, cum tam in foro externo, quam interno praesumi debeat peccatum mortale, nisi aliquid aliud obstat; ergo manente illo dubio, ut supponitur, melior est conditio possidentis, id est, legis.

Si inferat aliquis; ergo teneor, aut saltem possum tale peccatum confiteri tamquam certum, & non teneor confiteri tamquam dubium; veluti peccatum probabiliter mortale, possum confiteri simpliciter & absolute tamquam mortale.

Probatur Consequentia; quia praesumptio juris, secundum Juristas, est verisimilitudo quaedam sufficiens ad rem dubiam credendam. Vel, est probabilis conjectura ex certo signo proveniens, quae alio non adducto pro veritate habetur, donec Adversarius oppositum probet, in quem id probandi onus transfertur. Igitur quando constat de substantia actus, tamen si de qualitate speculative dubitetur, equidem practice est certa; ergo tamquam talis exprimens in Confessione. Ergo in ordine ad Absolutionem absolutam hujusmodi peccati dubii, non est necessarium addere peccatum aliquod certum.

Resp. concedendo totum; si verum est, sufficere ad Absolutionem absolutam, peccatum tantum probabile; & aliunde concedatur in tali casu praesumendum esse peccatum mortale. Alioquin communiter docent Theologi, in dubio de perfecta libertate seu de liberatione, timoratum sequi posse partem benigniorem; hominem autem perditae conscientiae, sequi debere partem severiorem.

Scio (inquit Bonae Spei tract. 2. de Act. hum. disp. 6. n. 294.) quod ferè omnes peccato dubio velint in Confessione adjungi debere aliud certum; sed cur hoc onus penitenti imponant, non satis video, cum materia dubia modo explicato videatur certa: *Odia verò restringenda, favores ampliandi; magis favendam Reo, quam Actori.* Malo tamen propter Aliorum Auctoritatem id in ordine ad Absolutionem absolutam necessarium asserere (cum sit res valde notabilis) quam meam speculationem Penitentiae Sacramentum periculo exponere; quia non obstante isto onere adhuc

penitenti est favorabilius obligari ad peccatum dubium confitendum, quam non obligari. Haec ille.

Ubi loquitur de omni peccato dubio, & perperam existimat, in omni hujusmodi dubio praesumendum esse delictum, idque quia favorabilius sit penitenti obligari ad peccatum dubium confitendum, quam non obligari; quod ego non credo, supposito saltem, quod possit confiteri peccatum dubium, & ab illo absolvi, etsi non teneatur illud confiteri.

Si autem quaeritur, an possit ab illo absolvi? Fortè aliquis responderet, posse absolvi sub conditione, sive sub dubio, sicut potest absolvi ab irregularitate dubia, excommunicatione dubia &c. quidquid sit de foro civili, in quo fortassis haec accusationes non admittebantur: *Accuso Petrum de furto; quia dubio an furatus sit, vel; quia forte furatus est, vel; quia est unum leve indicium.*

Ratio disparitatis est; quod haec accusationes in foro civili fiant in ordine ad condemnationem, accusatio autem in foro sacramento potissimum in ordine ad Absolutionem, & in favorem solius Rei; quidni ergo si ipse velit delinquere de peccato dubio, & pro eo Penitentiam acceptare, Judex possit ipsum absolvi sub dubio? Vocetur sententia, vel non, quaestio est de nomine. Est sententia dubia, sicuti accusatio dubia.

Sed contra; exponitur Sacramentum periculo nullitatis, quod non licet absque necessitate; atqui hic nulla est necessitas confitendi peccatum dubium, & per consequens nulla necessitas proferendi dubiam sententiam; ergo id non licet. Aliud foret, si ex praeepto divino, vel Ecclesiae, penitens teneretur confiteri peccatum dubium. Sicuti quando dubitatur de Baptismo; quia tunc est obligatio suscipiendi Baptismum, ideo licitum est illum administrare sub conditione.

Respondetur; Sacramentum Confirmationis, quamvis non sit necessarium, quis negat in dubio posse conferri sub hac forma verborum: *Si non es confirmatus, ego te confirmo?* Cur ergo similiter in dubio furti, non possit penitens absolvi sub hac forma verborum: *Si verè furatus es, ego te absolvo?* Porro irreverentiam abstergit conditio opposita, & utilitas Sacramenti, si fortè peccatum commissum fuerit.

Cæterum consultius erit, adjungere aliquod peccatum moraliter certum, dum id commodè fieri potest, immo fortassis necessarium. Ratio videtur esse; quia oportet nullitatem Sacramenti evitare quantum commodè fieri potest; nullum autem, aut certè levissimum incommodum est, confiteri aliquod peccatum veniale certum, quando tale memoriae occurrit; & aliunde non debent Sacramenta ministrari sub conditione, quando commodè possunt ministrari absolute.

105. An possit aliquis absolvi à peccato dubio, etsi non teneatur illud confiteri?

106. Objectio.

Responsio.

107.
Obiectio ex
Conc. Trid.

Si dixeris; obligatio confitendi peccatum veniale opponitur Concilio Trid. sess. 14. c. 5. ibi: *Venialia taceri* (in Confessione) *citra culpam, multisq; aliis remediis expiari possunt;* à qua regula sine sufficienti auctoritate, immo consensu quasi totius Ecclesiæ, non potest fieri exceptio, nisi velimus, unumquemque pro libitu posse facere exceptiones à generalibus principis fidei.

Respondet; me non facere exceptionem à generali regula Tridentini, sed cum Tridentino dico; illud peccatum veniale, quòd hic & nunc necessario est confitendum; supposito quòd velim confiteri, taceri potest in Confessione citra culpam, & aliis multis remediis expiari, id est, absolute non est confitendum, quemadmodum absolute teneor confiteri peccatum mortale.

Nonne qui vovet Confessionem peccatorum venialium, contradicit Tridentino? Minime, tamen peccata venialia citra culpam non possit taceri in Confessione. Et alibi ostendimus, Ecclesiam posse præcipere Confessionem peccatorum venialium. De hac ergo obligatione per accidens non loquitur Tridentinum, sed de obligatione per se, quæ præcisè oritur ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ.

108.
Voluntas
Legislatoris
presertim
tenda cor-
tici verbo-
rum.Reg. ult. de
Reg. Juris
in 6.Lex 13. ff. leg.
de Excus.Lex 5. Cod.
de LL.Obligatio
confitendi
peccata dubia
proba-
tur ex præ-
xi.109.
Responsio
Caramuelis.

Itaque præcisè ex verbis legis non vincitur obligatio confitendi omnia & singula peccata mortalia dubia. Attamen quia voluntas Legislatoris est anima legis, adeoque præferenda cortici verborum, ubi de illa constat ex verbis, aut circumstantiis legis; argumento Reg. ultima de Reg. Juris in 6. *Certum est, quòd si committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem.* Item Lex 13. ff. leg. *Scire oportet* 13. ff. de Excus. ibi: *Sed etsi maxime verba legis hanc habeant sensum, tamen mens Legislatoris aliud vult. Et leg. Non dubium* 5. Cod. de LL. *Non dubium est in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Nec penas insertas legibus evitabit, qui se contra iuris sententiam, savâ prerogativâ verborum fraudulenter excusat.* Hinc communis DD. imponit hanc obligationem; existimant siquidem, voluntatem Legislatoris moraliter certò, aut saltem longè probabilius constare ex continua praxi fidelium à tempore Apostolorum: praxis autem est optima legum interpretis, & evidens signum voluntatis Legislatoris.

Respondet Caramuel Theol. Moral. lib. 3. n. 1508. Primò, non constare, illam praxim & usum esse in Ecclesia tamquam obligatorium. Secundò, licet id constaret, id ortum habere, ex eo quòd omnes hucusque Auctores ita docuerint, & pauci à parvo tempore incepterint id reducere ad dubium: prout sæpius contigit, & nunc & olim in sententiis antiquari incipientibus.

Videtur itaque mihi hoc argumentum tan-

tundem valere, atque contra festum Immaculatæ Conceptionis valeret hoc: Fuit praxis & usus Ecclesiæ non celebrare Festum Immaculatæ Conceptionis, & ejus praxis non agnoscerit initium; ergo credendum est ab ipsis Apostolis promanasse, qui difficultatem Immaculatæ Conceptionis melius potuerunt intelligere. Hac ille.

Respondetur; hoc ipsum quod hæc obligatio sit tradita ab omnibus hucusque Auctoribus, & pertineat maxime ad mores, signum est, eam fuisse traditam à Christo Domino, qui in rebus tam necessariis, & usum Sacramentorum concernentibus, non patitur invalescere ferè per totam Ecclesiam aliquid falsum.

Deinde quando Doctores Scholastici incepterunt tradere eam obligationem, id fecerunt, quia vel ipsi ita confitebantur, vel alios audierant hoc modo confitentes, vel quia notaverunt hunc esse sensum omnium fidelium. Porò in alijs materijs vel sensus positivus contrarius non fuit communis, sed præcisè de eis non fuit actum, v. g. an deberet celebrari festum Immaculatæ Conceptionis; adeoque non celebratio non potuit præjudicare celebrationi postmodum inductæ, sicuti præjudicaret, si tempore Apostolorum fuisset prohibitum celebrare Immaculatam Conceptionem; vel certe non in materia morali & circa institutionem Sacramentorum (quæ pendet à sola voluntate Christi, cujus voluntatis revelatio est sensus communis Doctorem & fidelium, quando aliunde ex Scriptura non constat) sed in alia materia, rationibus & principijs naturalibus decidenda, licet concernente mores; in qua utique materia, auctoritas non habet tantum locum, ac proinde sensus præcedentium Doctorem non impedit, quò minus contra illos aliquid dicatur, ob solidam aliquam rationem, de novo inventam.

Sed contra, dicit aliquis; quia Christus Dominus in rebus tam necessariis, & usum Sacramentorum concernentibus, non patitur invalescere ferè per totam Ecclesiam aliquid falsum, ideo hinc nostris temporibus excitavit spiritum aliquorum Doctorem, qui contradicerent huic falsitati, quam tanto tempore permisit, quia non erat perniciosi fidelibus, cum sine dubio expectat ad majorem securitatem, hujusmodi peccata confiteri, immo sæpè necessarium sit, ut antè notavi, pro diligenti examine conscientiæ, ad quam poenitentibus institutionis hujus Sacramenti obligantur.

Quamquam ad hoc sufficeret, quòd peccata dubia explicarent Confessario, non per modum Confessionis, sed inquisitionis veritatis, dissimulando se hæc ipsa commisisse. Cognita autem veritate tunc confiterentur, si Confessarius judicaret esse peccata mortalia, secus si solum venialia; sin autem & ipse maneret dubius,

dubius, nescio ex quo alio fundamento (si tamen ex illo) efficaciter probetur obligatio confitendi, quam ex communi praxi & sensu Doctorum.

Dico; si tamen ex illo: quia, ut notat Herincx part. 4. tract. 4. disp. 3. nu. 48. inter Scholasticos antiquos pauci sunt, qui de hac questione agunt. Aletius verò, & D. Thomas, qui obiter eam attingunt, & dubia confitenda dicunt, non se fundant in auctoritate, aut traditione, sed in nuda ratione, eaque infirmâ (quâ etiam utuntur Summistæ, qui inde eam haulerunt, ut Tabiena, Sylvester, & alii, quorum unus sequitur alium plerumque instar ovium gregis) quod sic dubitans non confitendo exponat se discrimini; quasi nempe debeat agere, quod tutius est: hoc autem plurimas habet exceptiones in dubio de lege, de voto, de re an sit aliena, suppositâ possessione &c.

Fideles quoque non omnes idem sentent; quin immo scio interdum fuisse, qui putarent contrarium hoc titulo, quod non poterant recordari se fecisse, sed tantum dubitarent. Pii præterea plerumque prædicant, quod securius est. Et sanè fideles idem apprehendunt de peccatis probabiliter vel probabilius mortalibus. Nec tamen ob hoc censentur illa debere in Confessione exprimi.

Fit insuper interdum, quod aliqua non satis examinata, communiter apprehendantur obligatoria, ideoque prædicentur tamquam talia (in quorum sanè praxi non poterat esse error aut abusus) quæ tamen post diligentiorum discussionem apparent non satis fundata; adeoque usus contrarius obtinere incipiat. Hucusque præfatus Auctor.

Appositè Layman Theol. Mor. l. 1. tr. 1. c. 4. §. 4. n. 37. Si, inquit, in decursu vitæ alia peccata sua, quorum conscientiam habet, confiteatur, tacito illo peccato, de quo post diligentem excussionem dubitat an commiserit, vel an fuerit mortale: tunc probabile apparet, non incumbere ejus confitendi obligationem; non enim ex lege positiva Christi, vel Ecclesiæ habetur, quia esset nimis severa obligatio accusandi se de iis, quæ commississe se ignorat; neque ex lege naturali Charitatis propter periculum animæ; quandoquidem confitendo bonâ fide peccata reliqua, per accidens remittuntur ea, quæ ignorantur; verùm in hac re nihil determino, sed aliorum judicio committo. Ita hic Auctor, & Ego.

Quidquid ergo sit de universali & stricta obligatione, quæ sanè probabilis est, consulo omnibus (exceptis scrupulosis) ut confiteantur peccata dubia, tamquam dubia, præsertim dubia negativè, seu propriè dicta, quando constat de substantia actûs per se mortalis, & solum dubitatur, an hic & nunc propter aliquam circumstantiam excusetur à gravi culpa.

Sed quid si certò constet de peccato mortali commissio, & dubitetur de Confessione? Respondeo:

CONCLUSIO IV.

Qui certus est de peccato mortali, & dubitat negativè de Confessione, per se loquendo tenetur confiteri. Scrupulosus, nisi sit moraliter certus tam de peccato mortali, quam non Confessione, taceat.

Incipio ab ultima parte, & scrupulum appello quandam animi anxietatem ac timorem, ortum ex levibus & solum apparentibus causis; adedque scrupulosus erit, qui anxius est, & timet se mortaliter peccasse, aut peccatum mortale non fuisse confessum, ubi & quando non deberet timere, id est, timet ex levibus & solum apparentibus causis; qui utique timor, cum non tollat moralem certitudinem oppositæ veritatis, perspicuè manifestum est, non inducere obligationem confitendi.

Atque hic est communis sensus DD. ex quibus aliqui non improbabiler docent; dubitationem, quæ in aliis fortassis est rationabilis, in scrupuloso pro nihilo æstimari posse; unde tametsi tale dubium contemnendo, contingat scrupulosum speculative aliquando decipi, tamen practicè non errabit. Sed cave secundum hanc regulam agere, nisi moraliter certus sis, te omnino scrupulosum esse, ne fortè temerarius evadas.

Quæris à me, unde scire poteris, te esse scrupulosum? Respondeo; vel ex facilitate timoris & inquietudine in judicando de agendis, & facili mutatione iudicii in quacumque levi conjectura aut apparentis; vel etiam ex nimia quadam reflexione circa res atque eventus, qui vix in aliorum cogitationes ascendunt; vel denique certius id scies ex testimonio prudentum & proborum Theologorum, maxime Confessarii. Ipfus ergo iudicio habito, nemo est qui te poterit arguere de temeritate, si hic & nunc iudices hoc vel illud non esse peccatum; aut non esse confitendum, estò alioquin à parte rei foret peccatum confitendum; nemo, inquam, absque temeritate poterit te arguere de temeritate; quia hoc ipso quo Confessarius prudens & probus iudicat te esse scrupulosum, moraliter loquendo habes satis solidum fundamentum sic iudicandi, quando moraliter certò non constat de opposito.

Enimverò hominis scrupulosi ex mille dubitationibus non est una fundata, & quando subest

114. Quid sit scrupulosus

115. Unde scit possit, aliam quem esse scrupulosum

116. Unde scit possit, aliam quem esse scrupulosum

117. Unde scit possit, aliam quem esse scrupulosum

118. Unde scit possit, aliam quem esse scrupulosum

119. Unde scit possit, aliam quem esse scrupulosum

Immaculata praxis & Immaculata non agnoscit ab ipsa tenentur in hac oblatione Auctoris, signum Domini, tum Sacramentum in aliquo officio insecerunt, in audientia notaverunt. Per contrarium de eis non ari felum e non celebrati, si tum celestem vel certè titutionem voluntate est sensus, quando sed in alta naturalibus; in qua et tantum tum. Doctrina rationem, Christus & ulum non patitur aliquid excita- qui con- tempore fidelibus, securita- mo sepè diligenti tentes vi tur. peccata per mo- veritatis, Cognitâ Confessio- secus si maneret dubius,

112. Ignorantia

113. Ignorantia

114. Ignorantia

115. Ignorantia

116. Ignorantia

117. Ignorantia

118. Ignorantia

119. Ignorantia